

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.I.], 1711

XXXVI. Achánis sacrilegi lapidatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

(157)

Scelerata sua simulatorum fictilium adoratio , vene-
fitorum & incantationum præstigiæ , ac crudelitas ;
dum parentes liberos , vel per Sacrilegas flamas
lentè traducerent ; vel , quod immanius , in sta-
tuarum ex ære fusili carentibus brachijs torrendos
darent , præterea libidinum nec finis , limes , aut
modus aut reverentia . Pœnas igitur extremas jam
olim merebantur ; eas divina Justitia suis causis in
longum dilatas , evolutâ tandem dissimulationis
circulâ , flagitiorumque numeris omnibus imp-
letis ; ingenti cum fænore tarditatis , inflxit . Du-
rius castigat pœna ; & protacta peccandi licentia ,
ferro vindici aciem inducit severissimam .

NARRATIO. XXXVI. ACHAN SACRILE- GUS LAPIDATUR.

Iosue 7. Anno Mu ndi 2584.

Ante Ch. 1469.

Unus sæpe noxa cœtum integrum contagio-
ne sceleris involvit , & iræ ac vindictæ subij-
cit divinæ . Eversâ Jerichunte , non quievit
ira Dei vindex , vel vindictæ minister , bellicosus
Josue gladius ; victoriarum tamen cursum aliquan-
tum interruptus hominis unius culpa , plurium sanguine
ne expianda . Tam Numinis , quām Josuæ inter-
minatione severè fuerat interdictum , ne quis de ur-
be , anathemati subjecta , funditusque delenda
quidquam sublegeret , aut sibi usurparet . Infregit
mandatum cuiusdam avaritia militis , cui nomen
Achan ,

Achan, de tribu Judæ, hic in direptione Jerichuntis conspicatus inter spolia chlamydem purpuream, au-ro contextam; laminam insuper auream (vulgata Latina *Regulam*: Hebraica *Linguam* vocat, himirum in linguæ formam, fusam vel extensam) quinqua-ginta siclorum, scilicet aureorum. (Nostrate monetâ, trecentis, viginti florenis Rhenanis aestimandam) Hæsit in vestigio Ultio Divina Sacrilegio. Miserat Josue ad expugnandam *Hæiam* (pulcherri-mam iis temporibus, ac montanam urbem, non périnde civibus, ut opibus copiosam) tria pugniatorum millia; negarunt enim pluribus opus esse, qui locum explorârant; hi dum aggressionem moluntur, prorumpit ex urbe subito miles, perterritos in fugam vertit, pérque prona fugientibus imminens triginta tres ex eis cædit. Cladis acceptæ nuntius ut in castra pervenit, majorem, quam pro cæsorum numero, mæstitiam attulit. Rati namque ea se regione jam potitos, & exercitum, uti promiserat DEUS, habituros illæsum, cum viderent eo succel- su hostium animos vehementer elatos, luctui sese, lacrimisque dediderunt.

„ Josuen ea maximè calamitas affecit; quare co-
 „ ram Arca prostratus, cum fiducia DEum allo-
 „ quens, Nos inquit, ô Domine, non nostra teme-
 „ ritate, sed tuis promissis, & prodigiis adducti su-
 „ mus, ad terram hanc armis subigendam: nunc
 „ verò, contrà quam sperabamus, clade, casique
 „ territi; post talia belli exordia, quos nobis pro-
 „ gressus polliceamur; Non nostrum, sed tuum No-
 „ men agitur. Quid enim sit inexpectatum, perire
 „ humunciones, è terra prodeentes, in terram redi-

(159)

„tros ; sed tua gloria, tuus honor vindicandus ab
„opprobrijs, & ludibrijs gentium. Quis enim te
„colet ; tibi quis genua ponet , adolebit thura, pa-
„trabit Sacrificia, si perdis eos, quos tuis Sacris im-
„buisti, tuo Cultui consecrasti ? Quod si nostrum
„supplicium merentur scelera ; Magnum certe No-
„men tuum non meretur ignominiosè traduci, &
„conculcari ; huic consule, hoc tuere. Hæc ille.
Nec cassæ fuere preces. Responsum enim ab Ora-
culo accepit, surgeret, Sacrilegio pollutum exerci-
tum lustraret : præsentis calamitatis caussam esse,
religionem violatam. Itaque recurritur ad sortes ;
nomina Tributum per familias & domos jaciuntur in
urnam ; deprehenditur rea tribus Judæ ; & in ea, fa-
milia *Zabdi* ; in hac *Achan*, occulto furtô devinctus.
Hic quâ sorte ; quâ suamet confessione convictus ,
cum locum ostendisset in tentorio, ubi Sacrilegiam
prædam defoderat, jussu Numinis, & Josuæ ; duci-
tur in vallem *Achorem*, ab universo populo; tanquam
catharma & communis pernicies lapidibus obrui-
tur; deinide in rogum conjectus, cum uxore liberis,
omni suppelleotide, gregibusque comburitur, DEO,
absoluto vitæ necisque Domino, etiam innocentum
morte in scelus unius, ad aliorum terrorem, & exem-
plum sœiente.

NARRATIO XXXVII. VRBS HAJA AB HEB- RÆIS EXCISA. Josue 8. Anno Mundi 2584. Ante Christum 1469.

Dies